



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Protocollum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

do fit in manu Abbatis, vel recipientis de ejus mandato, per notata in *ca. porrectum, de reg. quod nota, & ibi gl. in ver. expresse*, facit aperitissime in omnibus dictis *supra c. quam ingredientibus, 19. q. 3. & ibi gl. in ver. convertendi*, facit *l. aut religiosus, ff. de procur. & ibi Accur.* ubi exponit, ut si monachus fiat sacerdos, & *Gem. in c. quamvis, ver. contra gl.* dicit procuratorem ingressum religiosè posse revocari, si non ingreditur irrevocabiliter.

Tertio, quisnam dicitur religiosus, & consequenter verè professus per Conc. Trid. nisi post annum probationis sine interruptione in monasterio exactum, & post emissa tria substantialia; *Nav. conf. 9.*

Quarto, si quis emisit tria essentialia, videlicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ in congregatione, etiam à sede Apostolica approbata pro bono modo vivendi, nisi emisit in aliqua religione approbata non censetur professus, *c. odia, de reg. jur. l. 6. Nav. conf. 9, ca. 9, de his qua vi metusque causant.* ratio est, quia appellatione congregationis non venit religio, nec e contra, nisi sit aliqua congregatio, quæ ortum ducit à religione, prout congregatio Cassinensis, & alia quæ duodecim solent nominari.

Quinto, professio facta in manibus Prælati, sive cujuscumque incorporare non valentis alicui religioni approbata, non facit quem religiosum. *Navar. conf. 6. n. 22. de reg.* hinc fit, quod si aliquando aliquis vellet emittere tria vota in manibus Episcopi, & professionè

solemnem in ejusdem manibus facere non ideo censetur religiosus, nec professio solemnis, nec votum solemne, sed tantummodo votum simplex; ratio est, quia Episcopus non incorporat religioni, *cap. odia, de reg. jur. lib. 6. & ca. unico, de vot. & vot. redempt. eod. lib.*

PROTOCOLLUM.

Protocollum amittens Notarius, potest puniri à judice pœna arbitraria, quia de consuetudine tenetur ad ejus custodiam, *Fel. in cap. tabellio, ver. 2, quaritur, n. 2, de fid. instrument.*

PROVISUS.

Provisus de Episcopatu, Abbatia, vel hæres, an possit conferre, vel præsentare antequam adipiscantur possessionem, vel adeant hæreditatem? Respondetur, quod sic. *Reb. tit. de simon. & resign. n. 25, & infra*, tamen distingue, prout ibi, si provisus est per obitum, vel privationem, vel resignationem.

RAPTUS.

Primò, licet raptus non possit fieri absque violentia, tamen si fiat muneribus, promissionibus factis puellæ, & invito patre de domo exeat, & ad ipsum veniat, vocatur raptus, & incurruntur pœnæ Sacri Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6, de refor. matrimon.* quæ sunt excommunicatio ipso jure, tam rapiens, quam dans consilium, auxilium, & favorem, & infamia: ratio est quia